



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

3. De Apostatis, & his, qui vulgò dicuntur Renegati, an contra supradictos possint Inquisitores procedere? Et de poenis, & abiurationibus, quas illis in aliquibus casibus imponere debent, agitur. Et ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

illos Calderinus tracta de heret. cap. 36. n. 4. Repertor. Inquis. ver. Iudaeus, §. Sed circa praedicta. Zanchinus de heret. cap. 36. n. 4. & ibi Campegius.

3. Sed audiamus Soulam in Aporisim. Inquis. lib. 1. cap. 37. num. 29. sic asserentem, Poena quae praedictis infidelibus imponi debet, est arbitraria, maior, vel minor, pro qualitate delicti videlicet poena privationis, communicationis cum Christianis, pecuniaria, carceris, verberum, remigandi etiam in perpetuum; trahi praeterea possunt Curiae saeculari, ultimo supplicio puniendi, ex constit. Greg. XIII. Hae Soula. Vnde ego olim anno 1633. die 29. Augusti consului quemdam Maurum ad tritremes per teneonium damnandum esse, ex quo pertinaciter in Tribunali S. Officii falsum deposuit ad excusandum alium Maurum jam Christianum factum, qui à dicto Mauro adjutus fugam arripuerat in Africam animo apostatandi, licet ex pietate DD. Inquisitorum non ad tritremes, sed ad verbera fuerit condemnatus. Quod autem Inquisitores possint specialiter contra Turcas procedere, quando adjuvant, vel consulunt Christianos ad apostandum, docet Eymericus in direct. Inquis. part. 2. q. 45. n. 3. & Zecchius in summa tom. 1. c. 1. de heret. n. 13. & aperte patet ex Bulla Gregorij XI. quam per extensum ponit Eymericus loco cit. & commentariis illustrat Scottia in Bull. Pontif. epitom. 27. theor. 73. 74. 75.

4. Igitur cum Iudaei delinquant in iis, quae sunt nostrae fidei communia, certum est Inquisitores posse illos punire. Difficultas est, an ultra penas, de quibus supra dictum est, sit in hoc casu illis aliqua abjuratio indicenda? Affirmative respondeo cum Pegna in direct. par. 2. comment. in hac forma.

5. Ego N. sacro sancta Dei lege posita coram me, & meis manibus tacta, jure me credere corde & ore profiteor, illam veritatem ac fidem, quam lex Dei sacro sancta docet, ac in primis Deum esse invocandum solūque adorandum, & per consequens detestor eum errorem qui dicit, daemones esse advocandos, eiusque divinos honores tribuendos, aut similia, juxta qualitatem errorum quos adversus fidem admisit, non enim in tali casu jurat super Evangelia, quibus non credit, nec abjurat haereticum quae in ipsum non cadit.

6. Et ita in facti contingentia accidit Barchinone anno 1371. ubi Episcopus & Inquisitor in die Circumcisionis Dominicae fecerunt publice abjurare, & sententialiter perpetuo carceri manciparunt quemdam Iudaeum convictum & confessum, quod daemones invocaverat & sacrificaverat: ut observat Vmbertus Locatus in praxi inquis. ver. Invocare, §. ult. & ante illum Eymericus in direct. Inquis. part. 2. quest. 46. n. 16. qui tunc erat in Aragonia Inquisitor, & dictum Iudaeum, prout supra, ipsemet condemnavit.

7. Sed ex dictis oritur pulchra quaestio, an Iudaei transientes ad Saracenos, seu ad alios infideles, possint puniri ab Inquisitoribus? Negativè respondet Soula in apor. Inquis. lib. 1. c. 37. n. 27. Farinacius de haeresi q. 178. n. 132. Decianus lib. 5. c. 10. num. 34. & alij. Sed ego contrariam sententiam tenendam esse existimo, quam tueri doctus Inquisitor Camillus Campegius in addit. ad Zanchin. de heret. c. 36. lit. B. in fine, ubi sic asserit: Tandem circa hanc tractationem de Iudaeorum delictis per Ecclesiam puniendis, vide adducta per Romanum in singul. 687. ubi quaerit, an Iudaeus convertens se ad ritum Saracenorum, veniat aliqua poena puniendus? & probat quod non sit puniendus. Tu verò tene doctrinam direct. Inquis. part. 2. q. 46. quae securior esse videtur. Constat autem quod quam plurima in lege Saracenorum continentur quae veritati Scripturae adversantur, quae & Iudaeis & nobis communia existunt. Ideo ex hoc potissimum puniri possunt, quia non licet ab eis discedere; sicut enim puniri debent Iudaei colentes idola, vel sacrificia illis offe-

rentes, aut daemones invocantes, ita credo, eos puniendos esse, si ad aliam sectam transcant, in cujus ritu contineantur contraria his, quae ipsi Iudaei nobiscum tenent, ut jam dictum est. Ita Campegius: unde contrariam sententiam non posse sustineri post constitutionem citatam Gregor. XIII. manifestum est. Nam in §. 2. tribuitur Inquisitoribus potestas contra Iudaeos negantes, quae habent communia circa fidem cum Christianis. Sed Iudaei transientes ad sectam Saracenorum, necesse est ut negent multa, quae habent communia circa fidem cum Christianis, ergo, &c. Ex quo valde miror Soulam alioquin virum doctissimum, & de nostro sacro Tribunali, bene merentem, negativam sententiam docuisse. De Farinacio vero non miror, quia non ita diligenter omnia dubia discutit. Decianus est venia dignus, quia ante constitutionem Gregor. scripsit.

8. Nota etiam Soulam pro sua sententia citare Pegnam in direct. par. 2. comment. 69. sed ibi Pegna refert tantum Oldradum, & asserit ejus dicta ob brevitatē non velle expendere, in quibus verbis minime demonstrat talem sententiam ipsum tenere.

RESOL. III.

De Apostatis, & aliis qui vulgo dicuntur Renegati, an contra supradictos possint Inquisitores procedere?

Et de penis, & abjuracionibus, quas illis in aliquibus casibus imponere debent, agitur.

Et an Inquisitores sine Episcopo possint reconciliare eos, qui vulgo dicuntur Renegati si sponte ad eos venerint & penitentiam posuerint?

Et an iudex laicus possit cognoscere de Apostasia, quando agitur de quaestione facti, quod idem dicendum est de haeresi? Ex p. 4. tr. 7. Ref. etiam 3.

§. 1. Posse contra supradictos procedere Inquisitores, tradit Filiucius tom. 2. tract. 12. c. 5. n. 145. ubi sic ait. Inquisitores habent jus inquirendi in eos, qui à Christianis transiunt ad Saracenos, ex c. contra Christianos, de heret. in 6. est enim eadem ratio, quae de transiuntibus ad Iudaeos. Ita ille, & ante illum noster Rojas de heret. part. 1. n. 124. ubi ita ait. Quamvis in c. contra Christianos de heret. in 6. solummodo dicitur de transiente ad ritus Iudaeorum; idem dicendum est de transiente ad ritus Saracenorum, quia ex identitate rationis etiam in poenalibus favore fidelis sit extensio, & ita etiam docent Sanctatelli de haeresi c. 2. dub. unie. n. 1. ait enim, Apostata à fide dicuntur ij, qui à tota fide Christiana recedentes ad alias Religiones, seu sectas se transferunt, ut ad sectas Turcarum, Paganorum, vel Iudaeorum; vide etiam Riccium in praxi tom. 1. ref. 423. ver. Renegati, Zecchium in sum. tom. 1. tit. de heret. c. 11. n. 13. Peyrinum in privill. Minim. tom. 2. constit. 9. Pauli V. §. 2. n. 15. Carrerium de heret. n. 87. Vallens. in partit. ad Decretal. lib. 5. tit. 9. n. 2.

2. Ad penas igitur deveniendo quoad abjuracionem sic asserit Genuensis in praxi Archiep. c. 68. n. 12. qui abnegarunt fidem Catholicam apud infideles, si sponte reversi petunt reconciliationem Ecclesiae; tanquam Apostatae formales abjurant, si fateantur se vere abnegasse fidem; si verò asserunt non habuisse intentionem abnegandi fidem, si pueri sunt, solent abjurare de levi, si majores, de vehementi, & hoc procedit, ut dictum est, si sponte veniant ad Tribunal S. Inquisit. Ita Genuens. & post illum Aloysius Barola in apor. lit. P. ver. pueri, §. 2. Sed magis ample loquitur Pegna in direct. Inquis. part. 2. com. 59. ubi sic ait. In his recipiendis & reconciliandis usu facti & supremi Tribunalis hae praxis recepta summo iudicio esse videtur, si committentes

committentes talia facta sponte compareant, & dicant se non credidisse ita faciendum esse, sed fidem in corde retinuisse, tunc abjurant ut vehementer suspecti, & alia poenitentia poenitentia ipsi imponuntur; quod si dicant & fecisse & ita faciendum credidisse, abjurant tunc ut formales hæretici, vel Apostatae, & gravius puniuntur; maxime si sponte, aut nullo inducitur metu, aut levi metu incusso hæreticalia, vel apostatica facta commiserunt, quod si non compareant sponte, & confitentur facta hæreticalia, vel apostatica, pravam autem intentionem negant, tunc super intentione torquentur, ut intelligatur an revera ita crediderint, necne, & si post torturam legitime adhibitam in negativa persistunt, dicentes se non habuisse pravam intentionem, tunc similiter abjurant, ut vehementer suspecti, & verisimile est eos non habuisse pravam intentionem qui per gravem metum talia commiserunt. Si vero intentionem pravam confitentur, tunc, tanquam formales hæretici, vel Apostatae abjurare compelluntur, & graves item poenitentiae imponuntur. Ceterum ut gravius, vel mitius puniantur, considerata est qualitas metus illati, & personae delinquentis, an juvenis, vel vir, an doctus, vel imperitus, an laicus, vel Clericus & Religiosus & similes circumstantiae quae delicta solent minuire & augere. Sanè illi qui cum non sponte venerint confessi fuerint pravam intentionem & mentis erroress, si reverti voluerint postquam hæresim, vel apostasiam abjuraverint, de jure ad perpetuum carcerem sunt damnandi; cap. excommunicamus il. 2. §. si qui autem de hæret. in 6. Ita Pegna loc. cit. & post illum Ioseph Sesse in decis. Aragon. tom. 4. decis. 444. num. 9. Extra vero abjurantem puniuntur supradicti aliis poenis arbitrariis DD. Inquisitoribus, videlicet pecuniæ, tritremium, fustigationum, &c. ut optime observat Castrus Patius in sum. tom. 1. tract. 4. disp. 7. punct. 1. numero 10. quæ omnia, ait ipse, observata vidi in publicis actibus fidei, in quibus vehementer suspecti ob aliquos ritus Judaicos publice errores abjurant, & poena pecuniaria S. Officii sumptibus applicanda condemnati sunt, alij vero ad exilium. Neque illis fuit impositus sacculus poenitentialis crucibus integrè signatis, sed solùm dimidiatis, qui tamen sacculus facta abjuratiōe illis sublati sunt. Ita Castrus, quod ultimum est valde notandum.

3. Non desinam tamen hic adnotare ea, quæ docet Rojas de hæret. part. 1. num. 108. ubi ita ait: Si captus à Sarracenis (ut quotidie vidimus) metu mortis, vel tormentorum fidem Christianam compellitur abnegare, & ad eorum ritus transire, sed corde & animo fidem Catholicam tenet, is neque est hæreticus, neque reconciliandus, sed in loco religioso per aliquod tempus reponendus, & in fide orthodoxa instruendus; præsertim si illo tempore minor ætate erat, quando captus à Sarracenis fuit. Nam majores, ut mihi relatum fuit ab ipsis Sarracenis, ad id non compelluntur. Hæc Rojas.

4. Sed quia, ut ex dictis apparet, potest sæpius contingere supradictos reos adducere se apostatasse propter metum, ultra superius dicta afferam hic, quæ optime advertit Riccius in tract. de jure person. &c. lib. 6. cap. 5. num. 7. & seq. sic enim ait: Quoniam animus intus latet, & Ecclesia non judicat de occultis, merito in foro exteriori asserens se Christum negasse per vim, sive metum, redditur suspectus de vehementi, vel levi, perpenis conjecturis personarum & negotiorum. Erit quidem vehementi suspectus, si vi, vel metu cessante, nihilominus in negatione fidei perseveravit, quia diuturna continuatio demonstrat actum ex corde processisse. Item si persona sit gravis, veluti Prælati, Monachus, Theologus, aut alius vir

gravis & prudens, & vis vel metus non fuerit mortis, vel tormentorum, sed famæ, vel exilij, fustigationis, carceris, famis, vel alterius generis non cadentis in constantem vitium: in his casibus suspicio est ita vehemens, ut merito indici eis possit abjuratio, & similiter si metus fuerit reverentialis. De levi vero erit suspectus, si negatio fuerit facta à personis non bene fidei causam callentibus, & qui verisimiliter scire non poterant, quam grave delictum sit negare fidem, cujusmodi sunt pueri, scemina, rustici & alij, quos minor metus avertit. Diluet autem omnem suspicionem apostasie, si statim, vi vel metu cessante doluerit, & poenitentiam egerit. Ita Riccius, & ante illum Pegna in direct. Inquis. p. 1. comm. 24.

5. Neque adversus supradicta facit Eymeticus in direct. p. 2. q. 41. ubi docet, quod metus mortis non excusat ab apostasia in foro exteriori; nam, ut optime observat Pegna ibi comm. 66. lit. C, hæc Eymetici sententia videtur vera de juri, ut aiunt, rigore, nonnullis concurrentibus, videlicet ut qui fidem metu mortis abnegat, probè causam fidei intelligat, & peritus sit, ut Theologus, Monachus, vel Episcopus, similisque personæ conspicuæ, quibus eam prædicare quasi ex officio incumbat. Rustici ut eam abnegent, ubi facile periculum evadere poterant, aut ubi maxime eam profiteri tenebantur, diutiusque in tali apostasia perdurant, nec statim facta opportunitate revertuntur, & Ecclesie reconciliari depolunt; sine quando non ipsi se ipsos prodiderunt, sed aliorum testimonio legitime convincuntur, nec metum probant, nec alia, quæ ad sui excusationem adducunt. Sic Pegna. Ex quibus apparet, quod licet in aliquibus casibus metus excuset, tamen ut hoc efficiat est in iudicio ad probandum, & ideo ego olim consului quemdam Græcum apostatam, qui delatus ab aliis ad S. Officium, negabat ex animo apostatasse, sed metu mortis causa, quod cum plenè non probaret, consului inquam, torquendum esse, & si negaret intentionem, abjurare debere de vehementi, & ad tritremes damnari, ut postea factum fuit.

6. Et tandem ponam praxim quæ in sacro Tribunali hujus Regni practicitur regulariter cum Mauris factis Christianis, qui postea cum aliis Mauris ad terras Turcarum fugam arripunt, nam si in itinere capiuntur, cum ex dicta fuga & aliis circumstantiis, quæ quasi semper concurrunt in dicto casu, habent contra se violentam præsumptionem apostasie, ideo torquentur super intentione, & si postea negent, abjurant adhuc de vehementi, & ad tritremes per triennium damnantur.

7. Nota tandem quod si veri apostatae abjurant de formali, confiscantur eorum bona, & damnantur ad carcerem perpetuum, & subjacent iisdem poenis, quibus subduntur hæretici, de quibus infra, ut docet Ioan. noc. in cap. 1. de apostas. n. 2. & ibi Hostiensis n. 2. Ioan. Andr. n. 4. Butrius n. 7. Vnde Lorca in 2. d. Thom. 9. 12. art. 1. disp. 50. n. 3. asserit apostatam quoad poenas & omnem processum judicalem, tractandum esse ut hæreticum, & idem tenet Sanctarellus de hæresi c. 2. dub. unic. n. 6.

Sed in fine hujus resolutionis discutiam breviter duas quæstionculas.

8. Quæro igitur primò, an apostata à Religione sint puniendi à DD. Inquisitoribus? Negative responder Duardus in Bull. Cæne. lib. 2. can. 1. q. 17. n. 32. & Pegna in direct. Inquis. part. 2. comm. 4. ubi observat sacrum Tribunal Inquisitionis Romanæ non solere contra Tribuna Inquisitionis Romanæ non solere contra Tribuna Inquisitionis Hispanice, & ideo Aloysius Barjola in aphorism. lit. A. ver. Apostata, §. 3. sic ait Apostata à Religione non puniuntur ab Inquisitoribus ex sola apostasia, nisi

nisi habeant aliquid adjunctum, & ita est praxis Sacri Inquisitionis de Vrbe. Sic ille. Verum Michael Zarnardus in *direct. Theol.* p. 2. *prac. 1. cap. 5. §. 19.* ait hos esse de vehementi suspectos de fide in tribus casibus. Primò, si à Religione transcant ad partes hæreticorum cum eis communicantes, eorum conciones audientes, vel aliquo modo eorum impietates autorizantes. Secundò, si habitum lacerent, pedibusque contulcent, & blasphemias contra Religiones evomant, nam similia facere & effutire mali animi indicium est. Tertiò, si aliquid faciant contra determinaciones Ecclesiæ, ut si uxores ducant, vel celebrent, quando nominaliter excommunicati sunt, vel similia alia fecerint quæ magni contemptus signa sunt. Ita Zarnardus.

9. Sed in multis ex supradictis casibus non ut Apostatas à Religione, sed ex aliis capitibus adversus illos procedunt Inquisitores: sicut procedunt adversus seculares cum hæreticis communicantes, eorum conciones audientes, binas nuptias contrahentes, &c.

10. Vnde etiam non desunt DD. asserentes posse Inquisitores procedere contra Apostatas à Religione, si per annum in excommunicatione persistierint negligentes ad Religionem redire, & ita docet Antonius Sanctarellus de *hæresi cap. 41. dub. 3.* & Laurentius de Peyrinis in *privileg. Minim. tom. 2. constit. 2. Pauli V. §. 1. num. 13.*

11. Quæro secundò, an Inquisitores sine Episcopo possint reconciliare eos, qui vulgò dicuntur *Renegati*, si spontè ad ipsos venerint, & penitentiam postulerint: Affirmativè videtur respondendum ex Molina de *just. tom. 5. tract. 5. disp. 28. num. 16.* ubi sic ait: Vidi ego in Lusitania cum Christianus quidam captus à Saracenis fuisset, atque ut servitutem fugeret sectam Mahometanam fuisset inter illos professus, ad nostram propriam spontè aufugisset, reconciliatum fuisse secretò in Tribunali Inquisitionis, ibique abjurasse solis Inquisitoribus, & aliis ministris ejus Tribunalis, ac me, qui illum fui comitatus, præsentibus, neque Ordinariis, aut alium loco illius interfuisse, fortè in simili eventu, in quo nullum dubium intervenire potest, necessaria non erit presentia Episcopi. Ita Molina adversus quem insurgit novissime Castrus Palaus *tract. 4. disp. 8. punct. 13. num. 17.* Verum non solum in casu supradicto, sed etiam absolute docet Soufa in *aphor. Inquis. lib. 1. cap. 3. n. 5.* esse usum receptum, Inquisitores indicare abjuracionem & purgacionem, sine Episcopo. Vnde ego, ubi adest talis consuetudo legitime præscripta, illam non damnarem; & hæc opinio erit quidem multum plausibilis DD. Inquisitoribus.

12. Et tandem pro coronide hujus resolutionis nota, quod licet in *l. si qui sanctam, C. de apost. denegatum* sit illis reconciliari, tamen ille textus fuit postea correctus à jure Canonico in *cap. contra Christianos, & cap. plerique, de consecrat. disp. 4. & cap. quidam, de apost.* quicquid asserat Arelatanus de *heret. notab. 44.* & Matthæus de Afflictis apud Rojas de *heret. part. 1. n. 291.* & ideo Lorca in *2. 2. D. Th. quest. 12. art. 2. Canon lib. 2. cap. 9. Castrus lib. 2. cap. 23.* & Pegna in *annot. ad Lucern. Inquis. ver. Apostata, & Simanca tit. 7. num. 3.* Barbosa in *l. Titia §. 5. ff. soluto matrim. n. 55. tom. 2.* Freytag in *novis addit. de Confess. sollicit. 9. §. 5. n. 90.* asserunt apostatam penitentem recipiendum esse, quod etiam tradit novissime Gabriel Pereira *part. 2. de manu Regia, cap. 74. num. 1.* qui tamen, licet aliqui vir doctus, caute legendus est, nam in dicto libro multa asserit contra immunitatem Ecclesiasticam, & præcipue in *cap. cit.* docet, judicem laicum posse cognoscere de apostasia, quando agitur de questione

facti, quod antea in *par. 1. in concord. Joannis 1. art. 1.* Ref. 194. & n. 175. dixerat etiam de hæresi. Sed hæc omnia sunt in aliis ejus not. & in Ref. 157. ita explicantium textum in *cap. in Inquisitionis, pro hibemus, de heret. in 6.*

RESOL. LV.

De contrahentibus binas nuptias.

Et an hoc delictum Inquisitores cognoscere possint, vel hoc crimen sit misti fori?

Et an supradicti sint de vehementi, vel tantum leviter suspecti de fide, & quibus penis debeant plecti?

Et alia notabilia circa hoc, & circa consulentes binas nuptias in textu hujus Resolutionis discutiantur?

Et tandem queritur, an qui sine uxoris licentia in sacula de gentis suspiciunt Ordines sacros, sint supradictis muliandi penis, & habenda sit ratio, cujus nationis sint? Ex p. 4. tr. 7. Ref. etiam 4.

§. 1. Hoc delictum Inquisitores cognoscere privative quoad judices laicos, probat Sigismundus Scaccia de *judic. causar. &c. lib. 1. cap. 12. n. 55.* Vnde Antonius Soufa in *aphor. Inquis. lib. 1. cap. 35. n. 18.* Sic ait: Stando in jure communi, culpa contrahentium binas nuptias ad utrumque judicem, Ecclesiasticum scilicet, & secularem spectabat, nunc autem ad solos Inquisitores, & extat declaratio à Sum. Pontif. ad Inquisitorum Lusitanie. Ita ille.

2. Verum M. Anton. Genuensis in *praxi Archiep. cap. 68. num. 13.* sic asserit: Si bigamus est præventus à Curia seculari, debet remitti ad Curiam Ecclesiasticam (Inquisitorem videlicet) ut rectè notat Farinacius *ubi infra*, quæ torquet ipsum super intentione, & abjurare, facit deinde tenetur illum remittere ad Curiam secularem, quæ ipsum punit pro bigamia; quando verò est præventus à Curia Ecclesiastica, in totum punitur ab ipsa, & non potest amplius Curia secularis se intromittere, ut habetur ex litteris Congregation. S. Officii, quæ conservantur in Curia. Hæc Genuensis. Ex quibus apparet caput legendum esse Simancam *tit. 40. num. 3. & 4.* ubi putat Inquisitores tunc posse procedere adversus tales bigamos, quando sunt ex genere Mahometano, & quando saltem duas duxerint uxores. Sed adversus illum, & merito insurgit Seraphinus Freytag in *addit. ad Acconiam, cap. 2. num. 32.* & Farinacius de *heresi, quest. 178. n. 71.* Vide etiam Homobonum in *exam. Eccles. p. 2. tr. 11. cap. 7. §. 18.* Rojas *singul. 98. n. 4.* Gutierrez in *qq. Canon. lib. 2. cap. 8. n. 1.* Henriquez *lib. 11. cap. 2. num. 3.* & alios quos citant & sequuntur Bobadilla in *polit. l. 2. cap. 17. num. 152.* in *glos. lit. A.* & Barbosa de *potestate Episc. p. 2. alleg. 40. n. 44.* unde non est audiendus Simanca.

3. Igitur cum Inquisitores absolute & indistinctè procedant adversus binas nuptias contrahentes, difficultas est an dicti sint de vehementi, vel tantum leviter suspecti de fide? Esse de fide vehementer suspectos, tradit Piafescius in *praxi part. 2. cap. 4. art. 6. n. 9.* & Genuensis *cap. 18. num. 11.* & alij. Verum asserunt hos esse tantum de fide leviter suspectos, Simanca *tit. 40. num. 8.* & alij. Vnde ex diversitate harum opinionum orta est differentia inter stylium Inquisitionis Romanæ & Hispanicæ; nam in Romana Inquisitione supradicti rei tanquam suspecti vehementer de hæresi torquentur, & abjurant de vehementi, ut testatur Naldus in *summ. ver. uxor, num. 2.* Riccius in *addit. ad Instit. Canon. lib. 4. tit. 2.* Farinacius *quest. 178. num. 68.* Ricciullus de *jure person. &c. lib. 1. cap. 11. numero 15.*

Sup. hoc sup. in tr. 10. Ref. 19. §. ult. & lege etiam aliam Ref. ejus annot.

Sup. his in tom. 9. tr. 1.